inquit: quia nichil michi conscius sum, quod meum aliquid queram, sed que ihesu christi.
Sed et pro minimo michi est ut a vobis iudicer, propter conscientiam bonam et intencionem
bonam; iudicium qui autem iudicat me magis dominus est, ut in eo solam spem suam ponant et
doceat humiliatus sub potenti manu dei. Sed et illud in iudicium venire possit hiis co-
venientibus apostoli tamen petri interrogacio ut hec sic dixit: amas me, amas me, amas
me. Habes caritatem de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, quantum siquidem
de nimia interrogacione in caritate habeat piscator hominum constituendus. || In comme-
moracione sancti Michaelis archangeli. Sermo xliij.

ngelorum hodie memoriam celebramus, et exigitis a nobis pro more so-
lempnitatis sermonem. Sed quid de angelicis spiritibus tales loquuntur
vermiculi? Credimus sane et indubitata fide tenemus, eos presencia
et visione beatos sine fine letari in bonis domini, que nec oculus vidit nec auris audivit
nec in cor hominis ascenderunt. Quid ergo de hiis homo loquitur hominibus, que nec ipse
quidem cogitare, nec illi possint audire sufficienter? Profecto si ex habundancia cor-
dis os loquitur, sicut omnis lingua necesse est ex inopia cogitacionis deficiat. Sed non est
ad nos loqui de ea claritate et gloria, qua semetipsos prevenit in deo suo angeli sancti;
nos omnino supereminet cordibus; de ea loquimur quam nobis exhibent graciam et cari-
tate. In supernis enim spiritibus non solum admirabilis dignitas, sed et dignacio ama-
bilis invenitur. Dignum est proinde, ut cuius gloriam non capimus, tanto magis am-
plectamur misericordiam, qua nimirum constat nobilissimos illos habitatores domus dei, celi ci-
ves, principes paradisi. Testatur denique apostolus, ipse qui raptus usque ad tercium celum, vel
illi curie meruit interesse atque eorum interesse secretis: Omnes administratorii sunt
spiritus, missi in ministerium propter eos qui hereditatem capiunt salutis. Nemo ergo incre-
dibile videatur, quandoquidem ipse quoque creator et rex angelorum venit non ministrari
sed ministrare et animam suam dare pro multis. Ut quid ergo ministerium illud ange-
lorum quispiam dedignetur, in quo precedit eum, qui in excelsis sedet, equalitate et felici-
tate ministratur? Sic et hinc dubitas utrumque, qui vidit testimonium perhibet: milia milium
milium ministrabant ei, et decies centena milia assistebant ei. Alius quoque pro-
pheta ad patrem de filio loquens ait: Minuisti eum paulo minus ab angelis. Sic
plane sic decet ut vinceret eciam humilitate, qui sublimitate vincebat. Sicque
tanto minor angelis, quanto inferiori sese ministerio mancipavit, qui tanto excel-
lencior est, quanto differencius pre eis nomen hereditavit. Sed quis fortissimus in
quo minoratus videatur ab angelis cum ministrare venit, quem utique et ipsi mini-
mi in ministerium mittuntur? Et ille in eo utique, quod non modo ministravit, sed et ministra-
tus est, excellit utique et vincit eos qui ministrabat et qui ministrabant. Denique pro-
inde in carnis consorcio: Ecce inquit venit iste saliens in montibus, transiliens col-
les. Ministrans enim salvavit non angelos, sed et ipse transiliit ministrantes. || Mi-
nistrant enim angeli de alieno offerentes deo nostro opera, preces enim eius graciam
referentes. Vide et scripturam dicentem quia ascendit fumus aromatum in conspectu domini
de manu angeli. Sollicite previste ... et fuisse ... nec enim sicut
res non presumunt, non sicut lacrimas offerunt deo, nobis quoque ergo munera refe-
runt, et non sicut, non sic ille minister sublimior ... sed et humilior universis

qui semetipsum obtulit sacrificium laudis, qui pro offerens animam suam nobis ministrat usque hodie carnem suam. Huius itaque tam ministri gratia nihil mirum si dignantur nobis, immo et libenter angeli sancti ministrent. Ipsi enim amant nos, quia nos Christus amavit. Dicitur certe vulgari quodam proverbio: qui me amat, amat et canem meum. Nos ergo o beati angeli catelli sumus domini illius quem tanto affectu diligitis, catelli inquam cupientes saturari de micis que cadunt de mensa dominorum qui estis vos. Et hoc diximus fratres ut amplioris devotionis erga beatos angelos fiduciam habeatis, ac proinde familiarius in omni necessitate vestra eorum succurratis auxilia. Sed et dignos eorum presentia conversari et magis ac magis eorum vobis gratiam conciliare, captare benivolentiam, exorare clementiam studeatis. Cuius rei gratia necessarium duco alias quoque causas vestre exponere caritati que et ipsos beatos angelos pro nostra conversatione reddunt sollicitos, sed non absque utilitate. Nimirum non ad detrimentum felicitatis sue, sed ad magis felicitatis augmentum. Constat sine dubio cives superos expectare et reparare beatitudinis humane ac angelice si dicere audeam consummationem esse nostram. Nec decet vos o beati spem eorum legis proprie dedignari, quam visitare debetis specie vestra licet simillima, ut ipsi ceteris decertasit vilitate. Sed neque arbitramini vos superni cives cunctis vestre expedire delectari et ruina murorum quos semirutos esse videtis, cum instaurationem si desideratis ut dignum est, frequenter queso ante thronum gratie verbum precis iteratis dicentes: benigne fac domine in bona voluntate tua Syon ut edificentur muri Jerusalem. Si diligitis decorem domus dei, immo quia diligitis, expectant zelum vestrum vivi et rationales lapides qui se soli in restaurationem eius nobis possunt coedificari. Hec est dilectissimi funiculus triplex quo de excelso celorum habitaculo ad consolandos, ad visitandos et ad adiuvandos nos attrahit supernorum civitas angelorum: propter deum, propter nos, propter seipsos. Propter deum utique cuius intima erga nos misericordie viscera ipsi quoque ut dignum est imitantur. Propter nos quorum miseram penitus similitudinem miserentur. Propter seipsos quorum ordines instaurandos ex nobis tanto desiderio prestolantur. In ore enim parvulorum qui lacte nunc vescuntur et nondum solido cibo perficienda est laus maiestatis divine cum heredes primitie ac angeli spiritus beati nimirum delectatione fruantur — sed tanto magis consummationis expectatione et expectatione sollicitantur.

Nota hec iii nota quare angeli faciunt nobis

¶ Que cum ita sint, pensate quanta etiam nobis sollicitudine opus est dilectissimi ut dignos nos exhibeamus eorum frequentia et eo modo conversemur in conspectu angelorum ne forte suos offendamus obtutus. Ve enim nobis si quos provocantur peccatis et negligentiis nostris indignos nos iudicaverint presentia et visitatione sua, ut iam inde habeamus et nos plangere et dicere cum propheta: Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt, et qui iuxta me erant de longe steterunt. Et vim faciebant qui querebant animam meam. Elongatis nimirum eis quorum presentia protegere nos et propulsare poterat inimicos. Et si nimis necessarium habemus familiaritatem dignationis angelice, cavendum est nobis eorum offensa et in hiis maxime exercendum quibus eis noverimus oblectari. Sunt autem plurima que eis placent et que

in nobis invenire delectantur ut est sobrietas castitas paupertas voluntaria crebri de celo gemitus et orationes cum lacrimis et cordis intentione. Attamen super omnia hec unitatem et pacem a nobis exigunt angeli pacis. Quid enim maxime delectentur in his que formam quandam civitatis sue representant in nobis ut mirentur Iherusalem novam in terra. Dico autem ut quomodo civitas illa participatio eius est in idipsum sic et nos idipsum sentiamus idipsum dicamus omnes et non sint in nobis scismata sed magis omnes simul unum corpus simus. Econtrario vero nichil eque offendit eos et ad indignationem provocat quam dissensiones et scandala si forte invenerint in nobis. Audivimus siquidem quod legitur ad Corinthios Paulus: Cum enim sint inter vos zelus et contentio nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis. In epistola quoque Iude apostoli legimus: Hi sunt quidem qui segregant semetipsos animales spiritum non habentes. Valde est autem horribile quemadmodum in universo corpore membra unus vivificet cohærentia spiritus. Expecta ergo quid vis a unitum recessit et unde an deinde illud vivificetur. Sic est omnis qui dicit anathema Ihesu quod nemo dicit loquens in spiritu Dei quia anathema separatio est; sic est itaque omnis qui ab unitate dividitur nec dubites quin ab eo recesserit spiritus vite. Digne igitur contentiosos et qui separant semetipsos apostolus carnales vocat et animales spiritum non habentes. Dicit ergo spiritus ille et bonus spiritus ubi scandala oriuntur et dissensiones? Quid nobis et generationi huic spiritum non habenti? Nam si adest spiritus pacis unitas caritas diffunderetur et unitas non scinderetur et dicit non pertinemus cum hominibus istis metuum quorum sunt et cum quaerimus tenebras ad lucem ad tenebras. Nos de regno unitatis et pacis sumus et habere istos in eandem unitatem et pacem sperabamus esse venturos; nunc autem qui intra nos adherent qui dissident a se ipsis. Videtis quam congruit huic sollempnitati evangelica lectio que sic deterret nos a scandalo pusillorum quippe quidem tam vehementer angelis displicent scandala qui scandalizaverit unum de pusillis istis dictum est quod sequitur. Sed iam preterit hora ad missas nobis eundum est. Peto ne sit vobis molestum de hoc dilatio que poterit non inutilis fore si amplius per sermonem alterum diligentius prosequemur.

In eadem festivitate de lectione evangelica. Sermo xliiii.

Audistis fratres evangelicam lectionem vehementer esse terribilem eis qui pusillos scandalizant ipsa veritate intonante. Nemini blanditur veritas neminem palpat nullum seducit. Ve inquit homini illi per quem scandalum venit bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. Natus sane dico natus ad vitam natus de spiritu qui minime postmodum carne consentiunt. Expedit ei qui scandala suscitat in hac domo in hac sancta Dei plena et angelis eius admodum grata et familiari congregatione ut suspendatur mola asinaria in collo eius et pro suavi iugo et onere levi Salvatoris gravem molem terrene cupiditatis humeris eius impositam demergatur in profundum maris huius et magni et spatiosi in quibus reptilia quorum non est numerus quod est sine dubio seculum nequam. Nimirum enim dampnabile erat ei in seculo magis perire quam in monasterio. Perire siquidem non est hoc qui mentem non habet etiam si tradiderit corpus suum ita ut ardeat. Et hec dixerim fratres non quasi minus bene de vobis sentiam aut regnare videatur in vobis neq[ui-]

sinunt istud vitium, sed ut in ea caritate et unitate et pace in qua statis in domino
solliciti sitis perseverare et habundare magis. Quae enim est spes nostra et gaudium
nostrum et gloriae corona, nonne unitas et unanimitas vestra? In qua gaudeo vos me-
riti fraternitatis amatores, ante omnia mutuam in vobismetipsis caritatem habentes, quae
est vinculum perfectionis. Propterea quod obsecro vos sic state in domino karissimi. In hoc enim cognos-
cunt angeli sancti quod Christi estis discipuli si dilectionem habueritis ad invicem. ¶ De-
nique si tenetis memoriam, quam vobis precedenti sermone tradimus triplicem angeli-
cae erga nos caritatis et sollicitudinis causam, post hinc quoque fraternae dilectio-
nis utilitas commendata. Simile siquidem considerantibus est homini qui non diligit proxi-
mum nullam ex his quas tunc diximus suppetere causam. Numquid enim Christi genus dili-
gemur ab angelis, si de mutuae dilectionis inopia noverint nequaquam eius nos es-
se discipulos? Numquid diligemur ab eis propter nos, propter spiritualis naturae similitudinem,
si invenimur non diligere humanae naturae nostrae consortes? Immo vero si ex eis quae in-
ter vos sunt contentionibus eos [animales] nos magis quam spirituales esse constiterit, denique num-
quid diligent nos propter semper et futuram de nobis suae civitatis restaurationem,
si quod absit unum illud quo solum uniri et aedificari eis possumus defuerit glutinum
caritatis, quos speraverunt reaedificandos de nobis perpetuos civitatis illius muros, si
cognoverint, si viderint nos non lapides vivos esse qui possent invicem cohaerere,
sed magis pulverem quem proicit ventus a facie terrae, quem unius verbi flatus
in turbinem excitet, et suspicionis cuiuslibet levissima aura dispergit. Et haec
quidem dixisse sufficiat pro eo quod ait dominus: Si quis scandalizaverit unum de pusil-
lis istis. Credo enim quod maiori sollicitudine deinceps ab hac tam nequissima pes-
te cavebitis. ¶ Iam video quia non moveat quod sequitur in evangelio: Si oculus tu-
us scandalizaverit te, erue eum et cetera. Numquid enim corporalem hunc oculum movemur
eruere, aut unum ex membris istis similiter et unum pedem abscidere et proicere a nobis?
Huiuscemodi carnalis omnino et nimis ridiculosa cogitatio. Sed postquam ab exte-
rioribus scandalis deterruit nos sermo divinus, aspice statim sicut audistis consilium
dat quid de eo nobis agendum sit scandalo quod interius patimur, consequenter tum
sentientes legem in membris nostris. Ipse enim cognovit figmentum nostrum, quoniam huiusmodi scan-
dalum non tam facile a nobis valeat caveri. ¶ Porro triplex fieri scandalum istud
cotidiano nobis licet nosse experimento. Initium enim est in nobis spiritualis intentionis
oculus, et qui quanto magis quam noster dicendus sit, sed scandalizat nos oculus noster et quando
pere a nobis est dum volumus nostrae minus casta importune ingerit intentione. Sed
habemus super hoc salubre consilium salvatoris. Erue enim eum, salvator inquit, et
proice abs te. Hoc enim fiat si non consentias, si abicias, si resistas. ¶ Simili modo
de manu et pede intelligendum est. Cum enim bonis operibus intentos ad aliqua tra-
here voluntas perperam conatur, manus nostra est quae scandalizat nos, sed abscide-
re debet et proici a nobis, ut non ei consentiamus. Sic enim proficere in scala quae sancti-
ne et ascendere per gradus scalae quae Iacob apparuit. ¶ At iuxta quod psalmista
ait de virtute in virtutem ire desiderantes saepe scandalum patimur a pede quodam
pusillanimitatis et negligentiae nostrae, qui minorem descendere magis ac remissi-
ore conatur. Sed abscindi eum necesse est, ut pes quo qui stat in directo currere possit
sine offensione sine

Sine offensione sine scandalo sine impedimento ¶ Quod autem dicit bonum nobis esse ad vitam intrare cum uno oculo aut manu aut pede quam duos habentes in gehennam mitti, eos vocat qui voluntate sua seu bona seu mala sit eque sequuntur et ingrediuntur duabus viis modo bona modo mala sectantes secundum quod variantur desideria sua. Quibus melius utilius fuerat gratie in omnibus inherere, et ubi obviat propria voluntas abscindere et a seipsis abicere eam. Est autem cum multo tempore in abscisione proprie voluntatis mens exercitata aliquantenus eam dominari ut discat iam non supplere sed magis sine omni scandalo vel contradictione deo subiecta sit. Aut nunc nec iam abicere necesse sit oculum unum, nempe qui simpliciter adherens deo factus est et ipse simplex. Aut certe iam non est oculus alter sed unus cum eo apostolo teste quoniam qui adheret deo unus spiritus est cum eo. Quod autem de oculo dictum est de manu quoque et pede eodem modo est intelligendum. Cum enim voluntas ex affectione et cum desiderio gratie coheret ut nec concupiscat mala agere nec bona minora nec minus bene quam gratia suggerit, hic plane perfectus est vir. Sed pax ista potius est felicitatis, abscisio vero scandalorum et temptationum victoria fortitudinis. Illa magnum glorie, hec virtutis. ¶ In festivitate omnium sanctorum de lectione ewangelica. Sermo xlvi.

Festivitatis omnium sanctorum hodie celebratur et dignum est ut cum omni devotione celebretur. Etenim et si magna videtur et est beati petri solempnitas seu beati stephani aut cuiuslibet ceterorum, quanto ista est que non unius tantum est sed universorum. Verum non ignoratis fratres secularibus vel moris esse ut diebus festis festiva sibi convivia parent et quanto fuerit solempnitas clarior tanto splendidius epulentur. Quid ergo? Nonne et hiis qui querentium ad eternis delicias sit querendum et spiritualibus spiritualia comparandi? Propterea iam paratum est convivium nostrum, sit iam cenaculum sit ornatum et epulandi tempus advenit. Dignum est enim ut cum patris sanctorum hec sine dubitatione et sine comparatione sit potior, presertim cum sanctorum solempnitates in festis sit ad animas magis quam ad corpora pertinere. Et que autem sint ac plus acceptent quippe nichil quam de eis cogitatione quamvis quibus propterea quoque sciri ista tam pacientur amplius propterea magis desiderant animarum bona et plus earum reficiuntur delectantur quam et ipsi similes nobis fuerunt passibiles quia et ipsi peregrinationis huius et exilii miserabiles deploraverunt molestias et ipsi cone huius temporis onus et tumultus seculi et temptationes experti sunt. Nimirum nichil itaque dubium quin gratior eis sit et multo acceptabilior illa festivitas que intenditur epulis animarum quam sit ea que celebratur a secularibus carnis perficientibus in desideriis. Verumtamen unde nobis animarum panis in terra deserta et loco horroris et vaste solitudinis? Unde nobis sub sole spiritualis cibus? Ubi nichil est nisi labor et dolor et afflictio spiritus. Sed sancto quis dixerit: petite et accipietis. Et illud: Si vos cum sitis mali nostis